



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Passio sancti Savini Episcopi Assisinatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**



## P A S S I O

## S A N C T I S A V I N I

*Episcopi & martyris.*

**M** Aximiano Augusto quintodecimo Kalendas Anno Christi  
303.  
Mai in circo maximo misso sexto Venetos  
vincente, pars major populi clamabant dicentes:  
Christiani tollantur, & voluptas constat. Dictum  
est duodecies. Per caput Augusti, Christiani non  
sunt. Spectantes verò Hermogenianum Præfectum  
urbis, item clamaverunt decies: Sic Augustus vin-  
cas, voces nostras à Præfecto exquire. Tunc Her-  
mogenianus Præfectus urbis intimavit voces paga-  
norum. Eodem tempore Augustus Maximianus  
iussit ut in capitolio omnes convenirent, & con-  
ventus est factus in capitolium decimo Kalendas  
Mai. Innumerabilis verò multitudo populi adve-  
nit. Hoc itaque adloquitur Augustus populum di-  
cens: Viri cœtus & religiosi temporum nostrorum,  
dignum nobis videtur ut intimatione vestra reli-  
gio temporum nostrorum augeatur. Tamen, pa-  
tres conscripti, concedam facultatem ut ubicun-  
que inventi fuerint Christiani, teneantur à Præ-  
fecto nostro urbis, vel ab officio ejus, & sacrifi-  
cent diis. Et statim discesserunt omnes una voce  
dicentes: Auguste tu vincas, & cum diis floreas.

II. Quo audito, venit quidam ad Præfectum  
urbis Hermogenianum, dicens ei: Est quidam Epis-  
copus qui cotidie conventicula cum Christianis fa-  
cit, & libros exponit, seducens populum. Cùm-  
que hæc audisset Hermogenianus Præfectus urbis,  
continuò renuntiavit hæc Augusto Maximiano,



\* hanc aucto-  
ritatem

dicens ei: Est quidam Episcopus qui removet populum ne sacrificent diis nostris. Tunc Maximianus Augustus gaudio repletus \* atque auctoritate iussit dirigi ad quendam Venustianum Augustalem Tusciae dicens: Suggestionem patris nostri Hermogeniani Praefecti urbis apud nos claruisse cognosce, quia iusta petitio occultari non debet, ut seculum nostrum nostraque promulgatio non laedatur. Ideoque commonemus ut ubicunque Christiani nomen auditum fuerit, superstitionem colentes, aut sacrificare cogantur diis, aut certè pœnis intereant, facultatibusque nudati, eadem fisco cum tributis applicandæ socientur. Vale Pater. Data pridie Kalendas Mai.

\* Afisium.

III. Eodem tempore Venustianus Augustalis Tusciae cœpit curiosè quærere si alicubi occultum Christianum inveniret. Et divulgatus est ei Savinus Episcopus, vir eloquentissimus, & delimito sermone clarus, in omnibus divinis instructionibus gratia Domini Iesu Christi repletus. Mittens ergo milites, tenuit eum in civitate Afisinati, & in eodem loco custodiae mancipavit cum duobus Diaconibus, id est, Marcello & Exsuperantio, & multis Clericis cum eis. Alia autem die venit \* Sifinnium. Postera verò die iussit sibi Venustianus vir clarissimus tribunal parari in medio foro. & ita factum est. Tunc oblatus est ei Savinus Episcopus cum duobus Diaconibus suis. Quem ita aggreditur Venustianus, dicens ei: Designa nobis nomen tuum. Dicit ei Episcopus: Peccator Savinus vocor, gratia Domini nostri Iesu Christi repletus. Dicit Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciae ad sanctum Savinum Episcopum: Servus es, aut liber? Dicit mihi. Savinus Episcopus dixit: Servus sum Christi, liberatus à diaboli servitute. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciae dixit:

Quo



Quo honore fungeris? Savinus Episcopus dixit: Nos peccatores non meriti officio fungimur nomine episcopatus. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ dixit: Hi duo quo honore funguntur? Savinus Episcopus dixit: Diaconi mei sunt. Venustianus vir clarissimus dixit contra Savinum Episcopum: Quæ tibi auctoritas præstat munimen ut doctrinas occultè facias & doceas populum ut derelinquat deos & sequatur hominem mortuum? Savinus Episcopus dixit: Tamen est in cognitione tua quia mortuus est Dominus noster Iesus Christus? Venustianus vir clarissimus dixit: Et verè occisus est & sepultus. Savinus Episcopus dixit: Quia tertia die resurrexit non scis? quod tamen integrè cognoscere debes. Venustianus vir clarissimus dixit: Elige tibi de duobus unum, aut sacrificia diis & vive, aut certè tormentis quibus dignus es necaberis; & resurge sicut dominus tuus Christus. Respondens verò Savinus Episcopus dixit: Et ego hoc desidero, necari & mori, ut resurgam sicut Dominus meus Iesus Christus.

IV. Venustianus vir clarissimus dixit: Consule tibi, & pollicere te diis sacrificare, & vive. Savinus Episcopus dixit: Si cognosceres veritatem, non blasphemiam proferres ex ore tuo, sed humiliares te Deo patri omnipotenti & Christo Iesu filio ejus & Spiritui sancto, qui mortem captivavit & vitam donavit, qui pedibus mare ambulavit, & qui ei imperavit, & cessavit ab ira sua, qui credentes in se resuscitabit in die magno & terribili adventus sui. Dicito mihi si justum est ut derelinquam creatorem cœli & terræ, & adorem ligna & lapides & aramenta, aurum vel argentum, simulachra muta & surda, quæ nec sibi auxiliantur nec aliis, sed potiùs eos qui illis credunt in perditionem mittunt. Simulachra dæmonia sunt vana & surda, muta & sine sensu.

D



V. Venustianus vir clarissimus dixit : Ergo non sunt dij gubernatores rei publicæ ? Sanctus Savinus Episcopus dixit : Non sunt dij, sed dæmones, qui destruunt rem publicam vestram. Sed ut scias quia nihil est boni colere dæmonia, deferatur huc deus tuus. Tunc Venustianus vir clarissimus deum suum, quem habebat in cubiculum suum ubicunque mansisset, iussit adduci in medio, quia erat miræ facturæ ex lapide coralite Iovis, & vestimenta ejus deaurata erant. Qui cùm adductus fuisset cum lampadibus & vociferationibus in manibus, Venustianus vir clarissimus dixit : Ecce propitiator nostri. Tunc subridens sanctus Savinus Episcopus dixit. O vana instantia, ut dimittatur Deus creator omnium, & colator lapis sordidissimus ! Venustianus vir clarissimus dixit : Ergo non sunt dij ? Sanctus Savinus dixit : Non. Sed ut scias quia non sunt dij, dimitte me facere quod volo, & modò vides. Venustianus vir clarissimus dixit : Si præsumis, fac quod vis. Tunc beatus Savinus accepto Iove in manibus suis, oratione facta, continuo elisit eum in pavimento, & confregit deum Iovem.

VI. Hoc videns Venustianus vir clarissimus tuitudine cum furore frontem suam dicens : Sacrilegum Savinum, qui pertinacia sua confregit deum Iovem nostrum, omnibus præsentibus truncari præcipio. Eadem verò hora præcisæ sunt manus ejus ambæ. Et cùm hoc factum fuisset, cœperunt Marcellus & Exuperantius diutissimè timere & trepidare Diaconi sancti Savini. Eadem verò hora beatus Savinus Episcopus manibus præcisus confortare cœpit Diaconos suos Exuperantium & Marcellum, dicens eis : Filij carissimi & fratres mei, nolite timere minas diaboli, sed confidite in Domino Iesu Christo, qui fidelibus suis dat coronam & vitam æternam. Exuperantius autem & Marcellus accepta fiducia cœperunt clamare



una voce pariter dicentes : Pereant dij dæmoniorum,  
& latetur cor quærentium Dominum.

VII. Tunc Venustianus vir clarissimus eadem  
hora collegit fragmenta dei sui Iovis in linteaminibus,  
& collocavit in capsula argentea, & misit in domum  
suam, & iracundia plenus iussit in conspectu suo  
Marcellum & Exuperantium in equuleo suspendi,  
præsente sancto Savino Episcopo, dicens eis : Sa-  
crificate diis, aut certè pœnis interibitis. Respon-  
dens autem sanctus Savinus dixit ad Diaconos suos :  
Filij, constantes estote animo & corde, & nolite  
timere terrorem inimici. Respondit Marcellus &  
dixit : Nos semel nos ipsos obtulimus sacrificium  
Deo. Aliud quid respondere non habemus nisi ut  
peccatis nostris ignoscat Deus, quia in his quæ pa-  
timur jam, diabolo locum non damus, nec obedi-  
mus ei, quia fallax est, & non dabit vitam, sed  
mortem. Venustianus vir clarissimus dixit : Mace-  
rate eos fustibus in conspectu Savini, qui manibus  
pollutis confregit deum nostrum Iovem. Et cum diù  
cæderentur, clamabant vocibus magnis dicentes :  
Gloria tibi Domine Iesu bone, quia meruimus in-  
troire in requiem tuam. Et cum diù clamarent am-  
bo pariter, dicit ad eos Venustianus vir clarissimus  
Augustalis Tusciæ : Iam deponite mentes sacrilegas,  
& adorete deos, ut non pereatis. Illi autem cla-  
mantes dixerunt : Nos in nomine Domini nostri Iesu  
Christi renovati sumus. Venustianus vir clarissimus  
Augustalis Tusciæ dixit : Modò vos ego renovabo.  
Et iussit ut unguibus raderentur latera eorum \* po-  
nerent, subito ambo expiraverunt. quorum corpora  
præcepit jactari in fluvium. Savinum verò Episco-  
pum truncatum in carcerem mancipavit. Audiens  
verò quidam piscator & Presbyter collegerunt cor-  
pora sanctorum martyrum Exuperantij & Marcelli,  
& sepelierunt eos juxta viam sub die pridie Kalen-  
darum Iuniarum.

D ij



VIII. Post dies verò sex audiens hæc quædam matrona nomine Serena de civitate Spoletana, quæ erat vidua annis triginta uno, Christianissima & timens Deum, orationibus, jejuniis, & eleemosynis vacans, hæc veniebat nocte ad sanctum Savinum, & curam ei faciens, pedes ejus amplexabatur, & osculabat eos. Hæc colligens manus ejus beati Savini Episcopi in domum suam, collocavit eas in dolo vitreo, & cum aromatibus condidit; quas die noctuque tangens, in oculos suos ponebat.

IX. Ipso autem tempore duxit ad sanctum Savinum Episcopum Serena cæcum nepotem suum, quem unicè diligebat, in quo medici omnem artem medicinæ exercuerant, & non poterant eum curare. Præsentatoque sancto Savino Episcopo, dixit ad eum Serena: Domine meus, per Christum te conjuro, in quem tu credis, & ego in ejus virtutem credo, ut ponas ulnas tuas super hunc famulum tuum, & ores Deum cæli & terræ creatorem omnium, & credo quia illuminabitur. Tunc Savinus Episcopus posuit truncos suos super oculos cæci, & cæpit cum lacrymis dicere: Domine Deus omnium creator & misericors, fac voluntatem tuam bonam sperantibus in te. Et genu flexo cum fletu hoc dicebat: Domine Deus, propitius esto mihi peccatori te invocanti, qui lumen es verum, illumina sperantes in te, quia nos non sumus digni, qui relictus sumus in peccatis nostris. In te sperant servi tui. Illumina tenebras nostras, quia tu es lumen veritatis & vitæ. Et tu dixisti Domine, Quæcunque petieritis in nomine meo accipietis. Per Dominum nostrum Iesum Christum & Spiritum sanctum, qui tecum vivit & regnat in secula seculorum. Et cum respondissent Amen, posuit sanctus Savinus truncos suos super oculos cæci dicens: Aperiat tibi oculos qui aperuit mare & induxit Israël per medium ejus. Ipse intro-



ducat lumen in oculos tuos, ut cognoscant omnes gentes quia ipse est creator omnium visibilium & invisibilium, quia ipse est qui nato cæco oculos aperuit. Tunc aperti sunt oculi Prisciani nepotis Serenæ. Et viderunt omnes qui erant in custodia mirabilia Dei quæ per sanctum Savinum Episcopum Dominus Iesus Christus fecit, & miserunt se ad pedes sancti Savini, & rogantes dicebant sancto Episcopo ut baptizaret eos. & baptizati sunt eodem die numero undecim. Hoc autem factum non potuit occultari, quia cæcus illuminatus fuisset per sanctum Savinum Episcopum.

X. Post dies verò triginta & tres indoluerunt oculi Venustiano viro clarissimo Præsidi Tusciæ, & præ nimio dolore nec cibum nec somnum potuit percipere, ita ut nullus medicorum ejus dolorem mitigare non potuisset. Eodem tempore Venustiano viro clarissimo Præsidi Tusciæ nuntiatum est quod sanctus Savinus Episcopus illuminasset cæcum; & misit uxorem suam & duos filios, & cum grandi gloria rogavit sanctum Savinum Episcopum. At ubi dictum est sancto Savino in carcere dixit: Gloria tibi Domine, quia me dignatus es vocare inter servos tuos. Et perrexit ad domum Venustiani viri clarissimi. Tunc levaverunt eum in manibus, & projecerunt eum ante pedes sancti Savini Episcopi. Quem ut vidit sanctus Savinus Episcopus, lacrymabiliter dixit voce clara: Illuminet te Christus, qui cæcum natum illuminavit. Respondit Venustianus cum uxore & filiis cum fletu, & dicebant: Peccavimus in mundo isto. Respondit sanctus Savinus Episcopus, & dixit: Si credis ex toto corde tuo, & pœnitentiam agis, omnia ministrabuntur credenti. Deferrantur huc fragmenta simulachri. Et statim ut imperavit sanctus Savinus, adducta sunt ante conspectum ejus. Quæ cum vidisset, omnia jussit comminui & proici in fluvio.



XI. Urgebatur autem Venustianus doloribus. Dicit ei sanctus Savinus: Credis ex toto corde tuo? Respondit Venustianus & dixit: Ego credo; sed peccatum meum, quod in te exercui, ipsum mihi cruciatum ostendis. Respondit sanctus Savinus & dixit ei: Mea delicta hoc mihi fecerunt. Tu vero innocens monstraberis. Et hoc te commoneo ut penitearis & credas in Dominum Iesum Christum, & baptismum percipias, & salvus eris, & vitam æternam consequeris. Venustianus vir clarissimus dixit: Baptiza me in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut percipiam promissa tua. Tunc sanctus Savinus Episcopus genibus positus oravit; & manibus abscessis catechizavit eum cum uxore & filiis, & accepta aqua, baptizavit eos dicens: Credis in Deum patrem omnipotentem? Respondit Venustianus: Credo. Et in Christo Iesu filio eius? Respondit: Credo. Et in Spiritu sancto? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum qui passus est & resurrexit? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum qui ascendit in cælos, & iterum venturus est iudicare vivos & mortuos & seculum per ignem? Dixit: Credo. Et in adventu ipsius, & regnum eius in remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem? Venustianus respondit: Credo in Christum Dei filium, qui me illuminet.

XII. Eadem verò hora levatus à pelve, aperti sunt oculi Venustiani, ita ut nullum dolorem post baptismum pateretur. Tenens verò pedes sancti Savini, lacrymis rigavit dicens: Ora Dominum nostrum Iesum Christum ut dimittat mihi quod in te exercui. Respondit sanctus Savinus, dixitque ei: Ego, fili, propter infelicitatem peccatorum meorum omnia hæc pertuli. Tu enim nihil in me peccasti. Et habitaverunt simul.

XIII. Hoc autem nuntiarum est Maximiano



Augusto, quia Venustianus baptizatus est. Et iratus misit Tribunum suum & scriptionem simul; & damnari præcepit Savinum, & ipsum Venustianum capite truncari iussit. Veniens autem Lucius Tribunus, sine auditione ipsum Venustianum Augustalem Tusciae cum uxore & filiis capite truncavit in civitate Asifinati. quorum corpora absconsa sunt à Christianis. quorum quidem corpora nusquam potuerunt inveniri.

XIV. Eodem verò tempore tenuit sanctum Savinum Episcopum, & adduxit eum in civitatem Spoletanam, & sine auditione tamdiu præcepit cædi quousque deficeret. Qui cum diù cæderetur, emisit spiritum. Cujus corpus collegit quædam matrona nomine Serena, quæ manus ejus antea collegerat, & junxit eas cum corpore, & sepelivit eum in liario à civitate Spoletana plus minùs secundo, sub die septimo Idus Decembris. In quo loco exuberant beneficia Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi. Cæci illuminantur, infirmi sanantur, dæmones effugantur, ad laudem & honorem Domini nostri Iesu Christi, qui semper fidelibus suis dat palmam victoriæ, cui est imperium, honor, & regnum in secula seculorum. Amen.

